



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

16. Dies Januarii. Non vaco ad istas ineptias: ingens negotium in manibus est. Seneca Epist. 49.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 16. DIES JANUARI.

Non vaco ad istas ineptias : ingens negotium in manibus est. *Seneca Epist. 49.*

Quæ sit I.  
illa solitudo.

**A**bditus nunc tu in abdito solitudinis arcano, quid, ne negotium sit tibi sine fructu inane, illic ages, quid animo ageris? Illud nunc ago, ut quid illic sit agendum, suggeram. Ingressus Deo auspice, Dei Gratiâ commente, optabilis tui secessus locum, cælum suspice, & animum à solo in altum erige, & ut tibi persuadeas hoc quod aggredieris opus, esse omnium tuorum operum Princeps, ideò illud Senecæ tibi occine. *Non vaco ad istas ineptias : ingens negotium in manibus est.* Hactenus inutiliter, pueriliter ineptivi, venatus fumos, sectatus umbras, aucupatus apinas, & affanias. Nunc ago quod ago, negotium quod mediator, non est multis commune, sed paucis (qui pauci electi) singulare. Idigitur altè menti imprimè, hoc quod meditaris opus, esse ut loquar cum Origine (a) *Opus operum.* Sicut augustum aræ Sacrificium vocatur à D. Dionysio, *Mysterium Mysteriorum*, quia est dignitate primum, ita & hoc opus est opus operum, quia utilitate summum. Indignum censeas, eam mentem, quæ in religiosa illa solitudine, socia est beatarum mentium, affligere ad ima, & ad vulgaris vitæ sordes, ac plebeie conditionis humilitatem deprimere, & illum divinû mentis imperum in sublime tendentis, humi affigere.

(a) *Hom, 5. ad Num.*

II. His



II. Hic igitur aperto veluti sipario, scenam in hoc secessu agendorum patefaciam, ut paucis quæ proponam, quàm multa in illo divino otio sint agenda, percipias. Vasta tibi imposta est provincia, cui non urbes, non regna, non exercitus, sed tui pectoris regenda est Respublica. Nullum ulli periculosius incumbit negotium, cum quotidie possis perire, laborare ne pereas. Quod ne fiat, pellenda tibi sunt flagitia, declinanda flagitiorum pericula, tuis è finibus fugandæ libidines, castiganda mollities, comprimenda licentia, erigendus ad meliora animus. An putamus ullam esse inquietiorem Remp. quàm humani status animi est? An credimus leviores nobis esse hic hostes, quàm apud Numantiam Scipioni? Ille unam urbem, & unum populum oppugnabat, nos tot habemus qui nos infestant exercitus, quot sunt perduelles animi affectus. Quot in hoc prælii genere veteranos, & emeritos cadentes audivimus? Quot prostratos vidimus? Quoties ipsi cecidimus? Quot cadendi periculis exponimur? Omnia circum plena terroribus, Hannibal quotidie est ante portas, nostri molles, & enervati affectus, hostes multi, & indomiti, ingens discrimen, nullus inertiae est locus, si salutem, si victoriam optamus.

III. Hæc tecum posthac agenda, quid jam cum aliis, & erga alios, siquidem tibi ipsi non solus vivas? Tunc sine copioso virtutum apparatu, & animi tui impensissimo conatu, vitia in exilium pelles, quod nec Leges unquam potuere, nec Reges? Tunc (quod tamen tuum est, si aliis vel præesse debes, vel prodesse velis) luxum divitibus, furta servis, lamenta pauperibus, invidiam plebi, nobilitati superbiam,



biam, fraudem curiæ, injustitiam foro, discordiam multitudini, avaritiam ferè omnibus extorquebis. Faciliùs erit omne sulphur ex Æthnæ visceribus, omnine cœnum è cunctis paludibus egerere, quàm mala hæc, quàm hanc scelerum colluviem ex urbium sentina exhaurire. Quid ergò? Pestes hujusmodi si non potes fugare, potes fugere. Ut fugias, ad solitariae vitæ portum confugas necesse est. Quàm jucundum, hocce in secessu stare velut in specula, res, curasque hominum, vel pedibus intuentem, videre omniâ, teque imprimis cum universitate transire, nec senectutem tacitè subrepentem, priùs molestanti pati, quàm proximam suspicari. Sed eam multò antè prospicere, & præpare illi integrum corpus, & æquum animum, nosse vitæ umbram hanc non vitam, diversorium non domicilium, viam esse non patriam, non locum quietis, sed palæstram; non amare quæ fugiunt; optare quæ permanent, semper te meminisse mortalem, sed cui promissa est immortalitas. Adhuc ne times in illa solitudine, deses otium, cui incumbit tantum negotium? Negabis laborem negotiis maximis, qui illum impendis minimis? Nil sine labore.

## 17. DIES JANVARI.

Ubique possemus invenire cœlum, si cœlum nostrum esset in code Dei. *S. Antonius.*

Quid in solitudine agendum & cogitandum.

**Q**uàm sit in solitudine suavis Dominus: exemplo suum convincit magnus ille Orientalium, & Orientium

Monachorum